



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 2. An in die animarum, seu Commemoratione omnium Fidelium  
Defunctorum Sacerdotes Missas applicare debeant generaliter pro  
omnibus fidelibus defunctis; anue etiam in specie pro aliquo, vel ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

nem Missarum die Sabbathi sancti omninò prohibendam in quibuscunque Ecclesiis & Oratoriis privatis, atque unicam Missam solennem celebrandam fore præcepit; sic enim loquitur: --- *In Sabbatho sancto omninò prohibentur Missæ private in quacunque Ecclesia, aut Oratorio privato, non obstante contraria consuetudine.*

548 Ad 2. Q. Communis sententia hætenus habuit apud La Croix l. 6. p. 2. n. 515. ut in testarum Missa ex intentione Ecclesiæ applicetur omnibus Defunctis in communi: Unde Gavantus p. 4. in Rubr. Miss. tit. 15. ita loquitur: Hoc loco monendi sunt Sacerdotes, sacrificium Missæ Defunctorum hac die applicandum esse omnibus defunctis ex intentione Ecclesiæ, neque ideò sit injuria iis, pro quibus quotidiana fortè extat obligatio Missæ; prævalet enim lex tacita rationabilis Ecclesiæ legi privatæ testatorum. Et licèt neuter Doct. ulteriorem rationem ibi afferat, suaderi tamen potest Ecclesiæ mens, & intentio hisce rationibus à Tambur. l. 3. cap. 3. §. 1. n. 9. adductis. 1. Quia hoc consuetudine ita introductum esse videtur. 2. Quia in titulo primæ Missæ Defunctorum dicitur: *Missæ in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum: si omnium*, ergo non unius, vel alterius in particulari; præsertim cum & oratio in Missa illius diei sit ge-  
R. P. Leonardelli Soc. Jesu,

neralis pro omnibus Defunctis. 3. Quia mens Ecclesiæ in tali solemnitate videtur esse ut generaliter omnes Defuncti, etiam qui aliàs destituti sunt aliis suffragiis, sic adjuventur. 4. Quia etiam in Missis quotidianis Foundationum propter pietatem erga purgantes animas ita præsumi potest voluisse quoscunque Missarum Fundatores. Hæ tamen rationes non videntur Tambur. l. c. inducere obligationem, & præceptum, sed consilium duntaxat, & convenientiam, nec apparere, eam consuetudinem sub obligatione introductam esse, quod confirmat Responsum, quod legitur, datum à S. Rit. Congregatione 4. Aug. 1663. quòd eo die Missa applicari possit tum in genere pro omnibus, tum in specie pro aliquibus Defunctis; cui, si authenticum est, poterit, qui vult, se conformare; ego in praxi sequor piam sententiam in suffragium, & auxilium tot animarum, quibus alàs pauci, vel nulli suffragantur eo solenni die ab Ecclesia in solatium, & subsidium omnium Defunctorum piè ac sanctè instituto, idque menti piæ matris Ecclesiæ conformius esse censeo,

Ad 3. Q. An simplex Sacerdos vi solus Ordinis aliquando obligetur ad sacrificandum? 549

Non nulli etiam magni nominis DD. cum D. Bonavent. in 4.

Fff

dist